

**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

Mezger, Paul

Augustæ Vindelicorum, 1695

§. I. Adstruitur inamissibilitas intrinseca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](#)

responso ad secundam probationem. Nam con-
cessio antecedente nego consequentiam : eo
quod visio beatifica ipsam gratia vitam ex natu-
ra rei exigat, tanquam essentiale sui radicem.
15. Objicies tertio: Non obstante, quod actuale
auxilium gratia sit incompositibile cum actu odii,
nihilominus stat cum ipso potentia ad odium:
dicendum ergo etiam, non obstante quod visio
beatifica sit intrinsecè incompositibilis cum pec-
cato, non ideo destrui potentiam peccandi.

Respondeo negando consequentiam; non enim
adquata ratio, cur visio ab intrinseco tollat
potentiam peccandi, est ejus incompossibilitas cum
peccato, sed quia formaliter tollit omnem erro-
rem praedicum, & indifferenter iudicium repræ-
sentantis aliquid objectū amplectendum, quod
sit irreferribile in DEUM. Econtrā auxilium
efficacis non tollit istam indifferenter iudicium, sed
eadem reliktā voluntatis libertatem modo libe-
rare naturae consentaneo in actum redigit.

16. Objicies quartò. Non videtur impossibile,
ut gratia habitualis suppleatur per auxilium ac-
tuale sicut actus fidei, quamvis sit vitalis vi-
talitate supernaturali, tamen potest elici à pec-
catore, in quo deficiente gratia manet fides: de-
mus ergo, quod DEUS per auxilium actuale in-
tellectum peccatoris elevet ad suī visionem,
macula peccati remanebit cum visione; quippe
qua non tollitur nisi per formam oppositam
gratia sanctificans, quam in hoc cau abesse
supponimus.

Respondeo: visionem quantumvis transeun-
tem essentia liter presupponere vitam gratia san-
tificans, quia est operatio perfectissima & ul-
timā actualitas vitæ intellectus supernaturalis,
præsupponens unionem essentia divinæ cum

intellectu Beati, eundem subratione specie in-
telligibilis complexis in actu primo, & deter-
minantis ad actum secundum visionis: que
cuncta supponunt naturam Beati per gratiam
sanctificantem jam collocatam radicaliter gra-
dui & statu vitæ intellectus supernaturalis, &
& participativæ divinae. Instantia de fide non est
ad rem; quia fides, tanquam prima inchoatio &
remota d'positio ad vitam inchoativæ divinam,
potest esse inchoativæ tantum ideoque imper-
fætæ vitalis vitæ supernaturali: dum econtra vi-
sio eu consummata perfectio vitæ supernatura-
lis debet esse perfæcta & consummativa vitalis.

Objicies quintò. Si DEUS potest Beatus
injungere præceptum de aliquo actu (v.g. cu-
stodia hominis) liberè implendo, tunc Beatus
potest peccare: sed DEUS hoc potest: ergo
& Beatus potest peccare. Sequela probatur. In
illâ hypothesis, quâ Beatus ex divino præcepto
liberè custodiaret hominem, posset etiam non cu-
stodiare, sed non custodiendo peccaret, ergo pos-
set peccare.

Respondeo: admissa possiblitate talis præ-
cepti, nego sequelam; ad cuius probationem
vel nego consequentiam, quia sit transitus à sen-
su diviso positivo in majori, ad sensum compo-
sum in minori. Vel distinguo maj. posset non
custodiare rō non custodiare accipiendo præclivis
& pro sensu diviso præcepti, concedo: ac-
cipiendo privativè, neg. maj. Sed non custodi-
endo peccaret, accipiendo non custodiā pri-
vativè & pro sensu composito præcepti, con-
cedo, accipiendo præcisivè & pro sensu diviso præ-
cepti, nego min. & consequentiam. Sed de hoc
ex instituto in Tract. de Incarnatione, ubi de
merito & impeccabilitate Christi agerunt.

ARTICULUS III.

An Beatitudo sit ab intrinseco inamissibilis?

S U M M A R I A.

1. *Doctrina fidei contra Origenem.*
2. *Visionis intrinseca inamissibilis deducitur ex e-
ius virtute, satiativa.*
3. *Et iudicativa.*
4. *Quomodo differant visio perpetua, & non per-
petua.*
5. *Visioni non repugnat anxietas circa partem beatitudinis accidentalem; bene circa essentiale.*
6. *Visio beatifica debet per se & non ratione alicuius extrinseci satiare appetitum.*
7. *An ex inamissibilitate sequatur indestruibilitas visionis?*
8. *Responso quorundam de physica indestruibilitate.*
9. *Impugnatur.*
10. *De essentia visionis est, ut videat se duratum in eternum.*
11. *Perpetuitas est prædicatum essentiale Beatitudinis.*
12. *Denominatio beatitudinis contingenter pradi-
catur de creaturâ.*
13. *Responso ad difficultatem.*
14. *Instantia depellitur.*
15. *Judicium virtuale visionis est infallible.*
16. *Necessitate consequenti DEUS Visionem beatificam tenetur conservare in eternum.*
17. *Alicuius creature visio in divina essentia est
necessaria.*

S. I.

Adstruitur inamissibilitas intrinseca.

Perpetuitatem & inamissibilitatem beatitudi-
nis fides docet declarata in Concil. Lateran.
firmiter. de Sum. Trin. contra Origenem lib.
1. per arch. c. 5. affirmantem, nec damnato-
rum supplicia, nec beatorum præmia eternum
duratura. Illam perspicuis verbis tradit S. Script.
cum Matth. 25. & Jo. 21. Petr. 5. appellat visionem
eternam gaudium, quod nemo tullet a nobis, ha-
reditatem, & coronam incorruptibilem, incom-
minatam, inmarcessibilem. Nullo enim modo in-
quit August. 15. de Trin. c. 8. esse poteris vita ve-
raciter beatâ, nisi fuerit sempiterna. Verum ut
prius de impeccabilitate, ita nunc controver-
titur.

itur de inamissibilitate, an illa beatitudini ab intrinseco, & ex ejus natura, an solum ab extrinseco favore, & gratuita DEI voluntate proveniat?

ab contra Sicut in 4. dis. 49. q. 6.

CONCLUSIO. Beatitudo est ab intrinseco inamissibilis. Ita S. D. hic q. 5. a. 4. in c.

Ratio est primò. Beatitudo ab intrinseco, & ex sua

essentiā est forma perfectè quietans & satans ap-

petitum nature rationalis: sed nisi ratione sui

& ab intrinseco esset inamissibilis, etiam ratione

sui & ab intrinseco non satiat & quietaret appetitum. Ergo nec foret beatitudo. Minor pro-

batur: Appetitus rationalis non solum inten-

dit possessionem Summi Boni, sed etiam posses-

sionis securitatem, quā non habita est constitutus

in anxietate & formidine illam amittendi: ergo

forma quæ ratione sui & ab intrinseco haberet

quietare & quietaret appetitum, debet ab intrinseco,

& ratione sui afferre securitatem de non amitten-

da Summi Boni possessione; quod non facit, nisi

secum afferat suimer intrinsecam inamissibili-

tatem.

Ratio est secundò. Tunc beatitudo est ab in-

trinseco inamissibilis, quando est de ipsis es-

sentiā, ut judicet, se in perpetuum duraturam: sed

est. Ergo. Major probatur. Implicat, ut judi-

catione beatitudinis sit falsum. Ergo si est de effen-

tiā beatitudinis, ut judicet, se perpetuo duraturā,

hoc ipso est de essentiā ipsius, ut in perpetuum

durer. Minor etiam probatur. Beatitudo for-

malis consilens in actu visionis, intellectualis ju-

dicativo, virtualiter satiat per modum judicii, nisi

judicet se perpetuo duraturam, cum alijs re-

linquat locum formidini sui amissionis. Ergo.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Dicēs primò. Visio perpetua & non perpe-

tra sunt ejusdem rationis; ergo, si perpetua

abeatificandum sufficit, sufficit etiam non per-

petua.

Respondeo. Sunt ejusdem rationis in ratione

visionis & operationis, concedo; in ratione quiete-

ris & beatificantis, nego. De quo statim infra.

Dicēs secundò. Non est de ratione beatitudini-

s, ut depellat omnem anxietatem; alijs Christi-

Dominus summā presul̄ anxietate, non suffi-

cit verè beatus. Ergo etiam non est de ratione

beatitudinis, quod si inamissibilis. Conseq. pa-

ter, quia hanc aliquam rationem inamissibili-

tatis, quād alia beatitudo non pelleret omnem

anxietatem.

Objic. tertio. Sufficienter ex parte Beati tolli-

tur omnis formido & anxietas, si is cognoscat

suam visionem fore perpetuam; sed hoc heri po-

tellit. Beatus cognoscat decretū divinum de per-

petuā visione, tamē visio beata ab intrinseco

non afferat hanc perpetuitatem: ergo tamē

visio beata non si ab intrinseco inamissibilis,

ad huc sufficienter tolli potest omnis formido &

anxietas.

Respondeo. Tollitur illo casu omnis formido

per se, & ex vi beatitudinis, nego: per accidens,

concedo. Est autem beatitudini essentialis, satia-

te perfectè appetitum, & consequenter per se de-

bet omnem opositam formidinem depellere.

Unde

§. III. Proponitur difficultas de indestruibilitate visionis.

Hinc tamen emergit non levis difficultas: quo- 7^o
modo destruibilitas intrinseca visionis beatæ
componi poslit cum intrinseca inamissibilitate, h.
e. ipsa indestruibilitate ipsius; nec enim alter bea-
ta visio, quam sui destruitione amitti potest. Por-
rò visione beatæ esse intrinsecæ & simpliciter de-
struibilem, videtur deduci ex communi consensu
PP. & Theologorum docentium contra Ariagam
dis. 15. phyl. se. 2. Omne creaturam esse ab
intrinseco destruibilem & defecibilem, ut insinua-
tur Sap. 11. *Quomodo aliquid posset manere, nisi tu*
voluisses, aut quod a te vocatum non esset conserva-
retur?

Cujus Ratio est: Quod rerum conservatio sit
earundem continua productio: ergo, sicut im-
plicat, creaturam, quæ essentialiter est ens ab alio,
& contingens secundum existentiam, habere in-
trinsecā necessitatem essendi in fieri & produci: i
ita similiter implicabit, ut habeat intrinsecam ne-
cessitatem essendi in conservari: & sicut cùm pro-
ducitur, existentia ipsi contingenter convenit, ita
contingenter convenit, dum conservatur. Vide,
quæ pro hac sententia docte & fuisse proponuntur
a Magis. D. P. Benedicto Pettschacher in thes.
de aff. hum. th. 4. concil. 3.

Existimant nonnulli Thomistæ, se hinc difficul- 8^o
tati satisfacere, si dicant: visioni beatæ con-
venire ab intrinseco indestruibilitate physicæ ex
principiis intrinsecis, correspondentem ordinariæ
potentia DEI, quemadmodum & anima rationa-
li, & Angelis, & coelis convenient, præsertim cùm
juxta alibi dicta, visio beata mensuretur æternitate
participata: Non autem convenire intrinsecam
indestruibilitatem, aut indestruibilitatem
logicam ab extrinseco correspondentem potentia
DEI extraordinaria, quæ sola repugnat creature.

Contra quam tamen respondonem facere vide-
tur primò. Quod juxta hunc dicendi modum, de
ratione visionis beatæ tantum fore radicalis &
exigitiva perpetuitas, h. e. connaturalis exigentia
& inclinatio ad sui perpetuitatem, orta ex princi-
piis intrinsecis ipsius visionis: sed hæc radicalis
perpetuitas non sufficit, primò, quia etiam visio
transeunte communicata connaturaliter habet
hanc exigentiam, & tamen quia per extraordinariam
DEI potentiam actu non perpetuatur, id est non
beatificat videntem. Et certè quis neget, majo-
rem indestruibilitatem esse de ratione beatitudini-
nis, quam quæ conveniat Angelo, anima rationali,
celo: sed indestruibilitas memorata est
his omnibus communis. Secundò. Non satis est,
quod beatitudo certificet de potentia intrinsecā
sua æternitatis & non amissionis, sed debet etiam
certificare videntem de actuali sua æternitate, &
non amissione, alijs enim non omnino depel-
lit omnem formidinem & anxietatem; siquidem
stante inclinatione & aptitudine connaturali ad
perpetuitatem, adhuc potest per absolutam DEI
potentiam deliri, prout de visione transeunte
dictum est. & sicut stante connaturali exigentia
& aptitudine accidentis ad inherendum in sub-
jecto, potest tamen actualis inherentia destrui.

Contra

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

E